



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Dialogvs Ghibbesii Et Psyches. Missis poëticis studijs, quæ recreant
animum, animæ negotio, quod magis vrget, vacare in posterum vnicè
constituit. Ode XI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

Pace cum longâ Numa, praualebunt
Otia nostra.

Dexter ô adsis igitur, nec almæ
Differas vr̄bis decus, aut precantum
Vota : tam nullis adamata nautis
Stella refulsit .

Hic ego, spretâ vice fortis, aram
Pono Virtuti reduci : sit illa
Numen Augusti, meritis dicabo
Thuris honorem .

DIALOGVS
GHIBBESII ET PSYCHES.

*Missis pœticipis studijs, quæ recreant animum, anima ne-
gorio, quod magis urget, vacare in posterum unice
constituit .*

O D E X I.

GH. **D** Vm certo tibi foedere
Hærebam socius, nec bona mutuam
Conferre abnueras opem ;
Auroræ potui spernere Phosphorum .

Ps. Dùm non mentem aliò leuis
Vertisti, nequè erat post Polyhymniam
Psyche ; tunc tua candidè ,
Vel Solis potui spernere Cynthiam .

GH. Siren cantibus efficax
Vocisque & citharæ Pieris attrahit :
Quam vates docilis sequar
Mulcentem tremulo carmina pollice .

Ps. Illic gratior artium
Me cœli recreat Christus imagine :
Quem per dura sequar crucis
Pingentem roseo sidera sanguine ?

GH. O factum benè ! tu mihi ,
Psyche, rursus eris pro Polyhymniâ :

Par-

Parnassus valeat duplex ;
 Affecto Superum tangere verticem .

Ps. O dictum bene ! tu mihi
 Rursum sponsus eris ; neq̄ comitem abnego ;
 Seu nos vita simul tenet ,
 Seu fatum placidis transferet arcibus .

IOANNI FRANCISCO PAVLO GONDIO ,
 S. R. E. CARDINALI
 dicto DE RETZ .

Cuius recessu ad dynastiam suam Commercium, accidisse id narrat, quod in defectione Solis usu venit; accessu rursus frontem omnes exporrigere; literatos in primis prægestire.

O D E XII.

Contractis homines fibris
 Ut stant, & volucres, ac pecudum genus ;
 Sol quandoquæ laboribus
 Immerfus piceis occuluit iubar :
 Aut quantâ querimoniâ
 Depulsum Superis vidit Apollinem
 Parnassi viduus chorus
 Commutare gregi pascua regio ,
 Solantem vice barbiti
 Curas indecori mentis arundine ,
 Amphrysi prope flumina :
 Sic te , Romuleæ sidus adoreæ ,
 Omni gentis ab angulo
 Quærebat tacitum curia Gallica
 Iamdudum : nequæ fanius
 Applaudit reduci , Tentyra quàm Deo
 Inuento . Prior ordines
 Rex præcessit ouans excipientium ,
 Oblatâ facilis manu .
 Nobis, chare, tamen dic rogo vatibus ,

G

(Do-